

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4389

Auteur(s) : Henri Brisoul, Paris, Prêcheurs (prieur)

Bénéficiaire(s) : Poilley, Notre-Dame de Montmorel (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1233, mars

Lieu d'émission : Pérouse

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

La bulle du pape Grégoire (IX) adressée à l'évêque d'Avranches (émise le 9 février 1230) et la charte du prieur des Prêcheurs de Paris et du chanoine d'Avranche, délégués par l'évêque. Ces derniers arrangeent les règlements sur les dîmes et les obventions de quelques églises paroissiales avranchinaises que l'abbé et les chanoines de Montmorel avaient perçues depuis longtemps sans confirmation de l'évêque et du chapitre d'Avranches.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Mont-Morel, n° XIV, p. 14-15.

Dissertation critique

La bulle de Grégoire IX est émise le 9 février 1230 ; la charte du prieur des Prêcheurs de Paris est émise en mars 1233 (n. s.).

Texte établi d'après a

† In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Abrincensi salutem et apostolicam benedictionem. Sicut Tua nobis Fraternitas intimavit, abbas et conventus Montis Morelli, ordinis Sancti Augustini, tue diocensis, decimas et obventiones quarumdam ecclesiarum parochialium sine tuo, vel predecessorum tuorum, seu capituli Abrincensis assensu, longuo tempore percepérunt, in suarum periculum animarum, unde nobis humiliter supplicasti ut cum ex fructibus ecclesiarum earumdem prefatis abbati et conventui victualia, pro majori parte, proveniant, concedendi eis prefatas obventiones et decimas, seu partem earum, prout videris expedire, licenciam tibi concedere dignaremur. Nos igitur Fraternitatis Tue supplicationibus inclinati, licentiam tibi concedimus postulatam. Datum Perusii, quinto idus februarii, pontificatus nostri anno tercio.

Cum igitur idem abbas et conventus decimas ecclesiarum de Presseio, de Duxieio, de Poilleio et Sancti Albini de Terra Gasta, Abrincensis diocensis, sine confirmatione capituli Abrincensis, in usus proprios convertissent et eas longuo tempore tenuissent, ego frater Henricus Brisoul, prior domus Predicatorum Parisiensium, et magister Robertus de Donnifronte, canonicus Abrincensis, auctoritate hujus rescripti qua ex subdelegatione venerabilis patris episcopi Abrincensis fungebamur, ita super eisdem decimis et ecclesiis duximus ordinandum : quod rector ecclesie de Presseio, quidam scilicet ex canoniciis Montis Morelli, se altero concanonico ejusdem domus sacerdote,

deserviens in eadem cum toto altalagio terciam partem decime bladi dicte ecclesie cum omni honore et utilitate de cetero percipiet et habebit ; rector vero ecclesie de Poilleio quidam scilicet ejusdem abbatie qui, se altero concanonico presbitero, deserviet, in eadem habebit et percipiet quintam partem decime bladi cum omni honore et utilitate et cum toto altalagio ecclesie supradicte. In ecclesia vero de Duxcio rector ipsius ecclesie, post decessum sive resignationem Radulphi Guiton, porcionis illius, decem scilicet librarum Turonensium quas percipit in eadem ecclesia, percipiet integraliter totum altalagium et cum omni honore et utilitate quintam partem decime bladi et, se altero presbitero deserviet in eadem. Post decessum vero sive resignationem Guillelmi de Campania canonici Abrincensis, porcionis illius videlicet vinginti quinque libras Turonensium quas percipit in altalagio ejusdem ecclesie Sancti Albini, rector ipsius ecclesie in Ordine sacerdotis se altero presbitero deserviens in eadem totum altalagium cum omni honore et utilitate sextam partem decime bladi percipiet et habebit, residuis porcionibus decimarum dictarum ecclesiarum dictis abbati et conventui remanentibus integre imperpetuum ad usus proprios, prout eas antea possederunt. Dicti vero abbas et conventus qui jus patronatus habent in eisdem ad eas rectores ydoneos, cum eas vacare contigerit, Abrincensi episcopo presentabunt qui, ut dictum est, deservient in eisdem. Dicti vero Guillelmus et Radulfus in ecclesiis in quibus percipiunt porciones premissas, in dictis agmentationibus nichil poterunt vendicare vel etiam reclamare, nisi eos contingat in ordine sacerdotis in eisdem ecclesiis, ut dictum est, deservire ; immo interim, de assensu dicti episcopi et abbatis, in dictis ecclesiis constituentur et assignabuntur capellani qui deservient in eisdem, et cum porcionibus altalagiorum quas capellani modo deservientes in eisdem percipiunt, dictas agmentationes habebunt ; dicti etiam Guillelmus et Radulfus porciones quas percipiunt in dictis ecclesiis non poterunt aliquatenus agmentare. Statuimus insuper quod tam portiones decimarum dictarum ecclesiarum tam abbatis et conventus quam rectorum earumdem, sive interim in eis deservientium, ad grangias dictorum abbatis et conventus, prout in quacumque parochia continentur, deferantur et ponantur, ad quarum grangiarum reedificationem sive reparationem tam abbas et conventus quam rector ecclesie quibus grangia suberit sufficientes, cum opus fuerit, sumptus facient communiter, quisque secundum quantitatem porcionis decimarum quam percipiet in eadem parochia dictam grangiam continente. Nulli vero dictorum rectorum licebit dictos abbatem et conventum impedire quin porciones suas decimarum illarum affirment cuilibet et quandcumque voluerint et triturent cum viderint expedire, pro sue arbitrio voluntatis. In dictis vero grangiis dicti abbas et conventus et dicti rectores porciones suas earumdem decimarum in grano et palea et stramine percipient cum eas decimas contigerit triturari. Ad cuius rei confirmationem presenti scripto sigilla nostra duximus apponenda. Actum anno Domini millesimo ducentesimo XXX secundo, mense marci. Hec autem omnia, salvo jure episcopali in omnibus, duximus facienda.